

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

DE

H E R P E T E

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS

ET DIRECTORIS

SPECTABILIS AC PERILLUSTRIS DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS LAUREA RITE OBTINENDA

IN

ALMA AC CELEBERRIMA

REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Emericus Huszár.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis palatio
die mensis Julii 1836.



PESTINI,

TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS.

(IN PLATEA DOMINORUM № 612.)

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT

THE GREAT



Nomen et definitio.

Herpetis nomen a Graeca voce ἑρπεῖν oritur, sistit efflorescentiam cutis e parte una serpendo quasi ad aliam migrantem. Apud antiquos notum fuisse morbum herpeticum; et eodem nomine insignitum multis edocemur scriptis, et quae in bibliis sacris de lepra narruntur magnam suspicionem movent, certam speciem herpetis fuisse, nam existentes deliniationes multum cum eodem similitudinis habent. Nomen herpetis iam in operibus antiquis *Hippocratis*, *Galenii*, et, *Celsi* occurrit, sic *Hippocrates* dicit: *Herpetes autem ex his, quae depascendo serpunt, minimum habent periculi, at secundum abditos caneros difficiliter tolluntur*, alio autem loco de *morb. vulg.* Libr. III. *Multis aegris ecthymata magna, et magnos herpetes enatos fuisse sub statu pestilentiali.* *Galenus* locis compluribus commemorat herpetem, eius causas inquirat, et divisionem in tres varietates format. *Celsus* herpetis nomine unico tantum utitur loco; sed eundem sub igne sacro intellectum haberi cupit, dicit enim: *Modo hanc cutis partem, modo proximam occupat, at priori sanata propinqua eius vitium accipiat, non secus ac ignis, qui proxima*

quoque depascitur, ubi ea quae prius accensa erant, deficiente materia idonea prius quoque exstinguuntur. *Plinii mentagra Libro XXV cap. I.* descripta, per equitem ex Asia Romam adlata; ibique in multos diffusa, iure pro herpete haberi potest. *Formica arabum*, impetigo quorundam veterum, et *Strabonii zona herpetem* designant. *Hungaris nomine sömör et tarjag insignitur.* Germanis die Flechte, der Zitterich, Schwinden, Zittermaale, Gallis Les darts.

Antiqua herpetis descriptio tam insufficientis; et manca erat, ut hac nisi cognitum fuisse morbum edoceamur, imo e recentioribus; auctores ipsi celeberrimi diversas cutis efflorescentias cum herpete confundunt, et definitionibus variis insigniunt. *Boissier Sauvages* herpetem definit: *est papularum congeries, seu efflorescentia, ex tumoribus exiguis, rubris, aggregatis pruriginosis, in squamas furfuraceas, raro crustaceas abeuntibus.* *Linneus* eum sic definit: *sunt populae ischaroticae cum basi communi crispelaceae.* *Plenk papularum chronicarum inschoroso squamosarum, semper ulterius serpentium agmen esse dicit, secundum Petrum Frank est species impetiginis, quae papulis exiguis, aut pellucidis subflavis aggregatis, cum pruritus, tensionis ac ustionis sensu ad cutem subtumidam, ac subduram efflorescit, his vero vel sponte, vel scalpendo disruptis pertinaciter ulceratur, sanientque acrem vicinus saepe partes corrodentem plorat, ac squamis, vel crustis informibus oblectae in lemas atque furfures resolvitur*

iuxta Vogel est maculosum cutis vitium, quod in squamulas resolvitur, et tarde ultro serpit. Recentissimis temporibus circa cutis morbos multum versatus cel. Villan herpetem dicit esse vesiculosam efflorescentiam, vesiculis discretis, irregulariter aggregatis, halone rubicundo cinctis, cutem inflammatam, tumidulam obsidentibus, quae regulariter crescunt, maturantur, decrescunt, et inter decem, vel viginti dies partem quam occupant deserunt, in locis vicinis saepe iterum prodeuntes, quae ab initio lymphâ pellucente clara, tardius turbida, et spissiore replentur, mox ruptae in crustas abeunt, aliquando tamen humorem quo cutis exulceratur plorantes, contagii semper immunes.

Ultimae huius definitionis auctorem; in descriptione herpetis sequentes hanc impertimus morbo definitionem. Herpes est illa efflorescentia cutis, quae se manifestat per vesiculas aggregatas, a magnitudine milii usque illam pisi acrescentes, basi rubicundae inflammatae; iam circulari iam ovali insidentes, areola parva clausas, initio liquidum pellucidum, serius albo opacum continentem, sub eruptione sensum pruritus, ac ardoris exitantes, praesentibus alterationibus febrilibus plus minusve manifestis. Vesiculae tandem exsiccantur, et in forma squamarum secedunt: hinc morbus vel terminatur, vel in eodem; aut alio remotiori loco denuo efflorescit, vel ulterius serpendo vicinas obsidet partes, decursum morbi priorem reiterans.

Symptomata et decursus.

Herpes in singula corporis plaga efflorescere potest, certis tamen locis eius eruptio est frequentior, ubi ille iam fixus vicinas partes minus molestat, iam ulterius serpendo ex aliquod pustulis aggregatis per totum fere diffunditur corpus, quandoque plagam affectam ex integro deserit, et in alio efflorescit loco. Quod eruptionem huius morbi impetiginosi attinet; haec saepe sine prodromis, alias cum delassatione universali, dedolatione artuum, cum anorexia, cutis pruritu molesto et dolore inchoat, imo exactiori observationi non effugit, haec sub phoenomenis characteris inflammatorii procedere, adest enim in plaga eruptionis futurae tumor, rubor, maior minorve sensus tensionis, pruritus molestus aegrum ad scalpendum provocans, et si haec notabiliorem cutis corripit partem, et subiectum sit robustum nec febricula deest, quae tamen semper morbi gradu, et individuali constitutione aegri determinatur. Mox aggregatim, raro solitarie comparent noduli vel papulae, quae primo in apice, serius ex integro in vesiculas diaphanas humore seroso transparente farctas elevantur, vesiculae hae basi circulari vel ovali insident, et areola rubra clauduntur, humor iis contentus limpidus serosus mutatur in opacum, et lactei coloris evadit, qui sponte vel scalpendo e vesicula rupta effusus exsiccatur, et forma squamarum vel crustarum secedit, vel humor indolem acrem acquirit, et partes vicinas irritat, vel planè arrodit,

et exulcerat, odore suo ingrato lignum putrescens, corium adustum, vel oleum empyreumaticum redolente nares ingratae afficit. Peracta herpetis exsiccatione, et squamarum secessu, nondum est morbus pro exanthemato considerandus, frequenter in eodem loco, alias vicino, vel parte magis remota idem exanthema denuo comparet, et; iam absolutum morbi decursum reiterat. Haec in genere de herpete valeant, singulae modificationes in descriptione singularum specierum proponuntur. Notandum tamen herpetem non solum sistere morbum molestum, ob pruritus qui aegrum diu noctuque afficit; et iteratas mali eruptiones, verum nec periculo caret, cum notabiliorem nonnunquam partem occupet, vel in pluribus compareat locis, imo per totum extendatur corpus, praeter sensationem molestam, secretionem profusam magnam humorum deperditionem adducit, quam habitus leucophlegmaticus, sanguinis discrasia, musculorum laxitas, dyspepsia, alvus obstructa, iam diarrhoicae profusiones, status colliquativus, et febris hectica subsequi valent.

D i v i s i o.

A compluribus auctoribus tentatae fuerunt hujus exanthematis polymorphi divisiones ut diagnosi speciali quadam ratione succurreretur, at diversis fundamentis superstructae minimum praxi medicae emolumenti suppeditavere, cum aliae arbitrariae, aliae non a natura morbi desumptae, et complures morbos diversos sub speciebus herpetis comprehendentes existant.

Sic cel. Alibert pytiriasim herpetis furfuracei farinosi, psoriasim herpetis squamosi, psydraciam herpetis crustacci nomine describit. Antiquissima et prima herpetis divisio apud *Galenum* occurrit, hic divisit herpetem, in *miliarem*, qui etiam *pustulosus* dicitur, in *vesiculosus pustulosus*, et in *herpetem malignum seu depascentem*. Divisionem hanc multi practici huc dum venerantur, *recentiorum* uti: *Russel*, *Poupart*, *Lorry*, *Plenk*, *Alibert*, *Villan* etc divisiones multum differunt, et quod uni species; alteri varietas est. Cel. Alibert divisit herpetem, in *furfuraceum farinosum*, in herpetem *squamosum*, h. *erustaceum* h. *miliarem*, et h. *exedentem*. cel. *Villan* et *Batemann* statuit herpetis divisionem in *phlyctaenodem*, *Zostera*, h. *circinatum*, *labialem*, *praeputialem*, et in h. *iridem*.

Antequam singularum herpetis specierum explanationi me accingerem, eius divisionem respectu causae formae, decursus extensionis et durationis resumpturus. Herpes sicut et alii morbi in *primarium* s. *idiopathicum*, in *sympathicum*, et *symptomaticum* dividitur. Primarius est; si ad stimulum directe in cutem applicitum exoriatur, Sympathicus causam ex interioribus procedentem agnoscit vel ex humorum quadam discrasia et diatesi morbosa, vel ex vitio secretionum et excretionum, vel suppressis variis profluviis, Symptomaticus tunc dicitur si hic qua symptoma solum morbum comitatur, respectu decursus in acutum et chronicum, extensione in localem et universalem, localis tandem in fixum si constanter unam oc-

cupet plagam in fugacem si unam deserendo in alia efflorescat, hic recenseri potest etiam herpes periodicus, qui certo tempore, et ut potissimum vernali v. autumnali sub aequinoctio comparet, vel vario statu ut graviditatis, fluxus catamenialis haemorrhoidum eius praesentia determinatur, respectu durationis in recentem, et inveteratum, praeter haec herpetis divisio apud complures in endemium epidemium, et contagiosum legitur.

Nos quinque varietates herpetis distinguimus, quae partim a forma, partim a sede morbi desumuntur. Sic

I. *Herpes phlyctenodes seu miliaris*: in partibus supra diaphragma sitis frequentius observatur, quamvis nec aliae corporis plagae eo immunes exsint, in facie, collo, gena, pectore, dorso, brachiis sedem figere praediligit. Communiter per unam alteramve diem eius eruptionem praese solent symptomata aliqua febriculae; tunc in superficie circulari diametri medii, unius pollicis vel ultra in cute comparent puncta rubra aggregata, parum prominentia, quae sequenti die confluent, et maculam unam efficiunt, huic aggregatim insident vesiculae parvae, magnitudinem a semine milii usque illam pisi aequantes, globosae pelucido sero farctae, quae molestum sensum pruritus, et ardoris excitant. Raro unica area, sed frequenter duae tres, aut plures erumpunt, nunquam inter se cohaerent, sed segregatae insulas parvas efficiunt, cute intermedia in statu normali relictis. Humor serosus vesiculis

contentus per unam diem pellucidus manet, sed mox in albo opacum flavescentem mutatur. Absoluta vesicularum perfecta eruptione, febris symptomata imminuuntur, vel penitus disparent, et vesiculae septimo aut octavo post eruptionem die collabuntur et desquamantur, et rubor remanens post aliquod dies disparet.

II. *II circinatus* vel *centrifugus* consistit in circulari eruptione vesicularum, ita; ut cutis in centro normalem retineat colorem et in peripheria solum inflammata et rubra conspiciatur, vesiculae ibidem efformatae variam attingunt magnitudinem, quorum liquor serosus opacus redditur, ipsaeque ad priorum normam exsiccantur et desquamantur.

H. Iris est illa varietas, ubi vesiculae aggregatae, quatuor annulis distinctis erythematosi cinguntur; colore vario distinguendis, herpes iris semper in minori extensione occurrit, videntur maculae parvae circulares, vel ovaes, in quibus diversi coloris zonae distinguuntur, die altera in medio maculae comparet vesicula una pluribus aggregatis cincta, quae tandem secundo tertiove die complanatur et humorem prius limpidum nunc flavicantem exhibet, zonae redduntur magis conspicuae et annulos quatuor efformant, quorum a centro primus rubro fuscum, secundus albo flavum, tertius profundius rubrum, quartus vero roseum colorem habet, absorpto liquido circa diem decimum, vel undecimum herpetis haec species desquamatione terminatur.

IV. *H. labialis* ob locum quem occupat dictus frequentius in superiori quam inferiori occurrit, et quidem ubi cutis in membranam mucosam labiorum transit, quandoque versus alas nasi genam et mentum extenditur, formam externam similem herpeti miliari offert. Videtur exoriri per refrigerium corpore aestuante admissum, et tunc qua symptoma febris catarrhalis est considerandus, sed non raro per febrim intermittentem etiam provocatur unde a compluribus hydroae, vel eezematis febrilis nomine venit.

V. *Herp. praeputialis* hic internam, vel externam praeputii superficiem, vel labia genitalium sexus faeminei, vel scrotum pro sede habet. In singulo casu sedulo est ab ulcere syphilitico distinguendus, a quo indole sua non contagiosa et absentia symptomatum quae ulcus syphiliticum comitantur differt. Herpes hic raro sine omni irritatione occupat genitalia, saepe mucus, vel sebum in glanoulis cutaneis secretum accumulatur et indole sua acri quam saepe acquirit stimulo molesto irritat partes.

VI. *H. Zoster s. zona, cingulum*: sistit illam herpetis varietatem quae a reliquis eius speciebus per formam propriam semicirculum latum exhibentem distinguitur. Potissimum in trunco occurrit zoster, qui in medio trunci in regione processuum spinosorum vertebrarum dorsii, vel lumbalium ortus, iam per humerum extenditur, iam infra exillam per anteriorem pectoris partem usque mediatem sterni pertingit, si autem in regione spinali verte-

brarum lumbolium oriatur; tunc usque ad lineam albam extenditur, secundum eius situm videntur maculae latae numero plures rubicundae inflammatae figurae irregularis; quibus vesiculae herpenticae copia maiori insident, quarum liquor serosus initio limpidus post tres, quatuorve dies in opacum lactescentem mutatur, eruptio ipsa sub alterationibus febrilibus obtinet; finis autem exiccatione et desquamatione, remanens partis rubor ad brevius saltem tempus; verum sensus pruritus et ardoris ad menses imo annos extendi potest.

Herpes cum quibusdam cutis efflorescentiis magnam similitudinem habet, et non raro cum illis confunditur, tales sunt: *erythema, gutta rosea, pytiriasis, miliaria, exanthema mercuriale, hydroa febrile, scabies, psudrasia*. Ab erythemate tamen et guttarosea differt per pruritum, ardorem, et dolorem magis molestum, per maiorem vesicularum formationem, et naturam ad vicinas partes serpendo quasi migrantem. A pytiriasi differt; quod haec sistat morbum idiopathicum, maculas herpeticis quidem similes sistentem verum sine formatione vesicularum in squamis cito disparentibus e cute secedentem. A miliaribus febricula magis symptomata, et indole sua impetiginum non aliena distinguitur. Ab exanthemate mercuriali decursu suo minus acuto, et causa excitante, utpote largiore usu mercurialium non praecedente differt. Scabies ab herpete dignoscitur, quod haec in articulationibus digitorum, et flexuris comparens faciem raro molestat, quod contagio exoriatur, et in alio individuo pro ea disposito

similem producat morbum. Psudracia originem suam causis externis debet, ulterius non serpit, nec talem ut herpes cutis pruritus, et ardorem provocat, est minus pertinax, nec format vesiculas aggregatas. Quibus distinguatur herpes praeputialis ab ulceribus syphiliticis iam supra melini.

Aetiologia.

Herpetis causas in remotas et proximas subdividimus, remotas iterum in praedisponentes, et excitantes.

Causae praedisponentes. Aetas provector, periodus evolutionis pubertatis, extinctio functionum sexualium, graviditas, dispositio haereditaria et congenita, organismus morbis gravioribus exhaustus, exanthemata cutis acuta, morbi cachectici decursum chronicum tenentes, ut scorbutus syphilis ect. Exanthemata varia magnam cutis debilitatem et sensibilitatem causantia, constitutio endemica, temperamentum cholericum, affectiones systematis cholopoeici, denique et aetas tenera, sexus faemineus eminentem pro herpete dispositionem offerunt. Herpes in aetate puerili faciem, sub pubertate pectus, aetate virili abdomen, et provectora denique extremitates prae reliquis partibus seligere amat.

Causae excitantes sunt: cutis-immundities, repentina temperaturae mutatio, aër humidus frigidiusculus, cutis irritatio per-vestes

sordidas, vel e lana pilis vel panno confectas, scabras, et quacunquē demum ratione cutis functio suppressa, influxus radiorum solarium excessivus, prout in climate calidiori obtinet, per motum vehementiorem accelerata cutis transpiratio, praeterea unguenta diversa, emplastra, et balnea tam frigida quam calida inapte usitata, quibus omnibus sub certis circumstantiis exanthemata cutis provocari possunt, causae sympathicae ex organis digestionis scaturientes, prouti sunt: primarum viarum affectiones morbosae, accumulatio sordium, colluvies acida, abusus ciborum pinguium sale fumoque conditorum, aut corruptorum, abusus quorundam piscium, et ostrearum, potulentorum fermentatorum aut vinorum acidulorum excessivus usus. Suppressio profluviorum, ut; catameniorum, haemorrhoidum fluoris albi, lochiorum, diarrhaeae, gonorrhoeae, sudorum habitualium, vitiata secretio bilis, hinc post vehementiores animi affectus in priori turbae exortae efflorescentiis herpeticis favent. Praeter haec; diathesis scrophulosa, syphilitica, arthritica, et carcinomatosa eundem producunt. Herpes saepe ut crisis morborum gravium est considerandus, ubi fomes morbosus ex organismi penetralibus ad cutem externam transvehitur. Perspectis causis remotis disquisitioni remanet causa herpeticis proxima.

Causa herpeticis proxima diversis temporibus varie explicabatur: antiquissimis temporibus causam herpeticis in bile latere credebant, tenentes bilem minus perfectam non ad intestina verum per vasa lymphatica ad cutem devehit,

ibique exanthemati originem ponere, hanc opinionem e recentioribus ipse *Petrus Frank*, et complures alii defendunt. Alii herpetem ex animalculis sub cute nidulantibus exoriri credunt, alii ex impedita excretionem per renes principii urici, et azoti, alii ex defectu gelatinae animalis in cutae, unde eius fragilitatem et in lichenes producendos nisum propugnant. Adlatae hypotheses minime valent herpetis explicare ortum, magis probabile videtur causam eius proximam in processu inflammatorio specifico in rete Malpighii situato esse quaerendam, quod symptomata eruptionis confirmare videntur, sic tumor calor rubor et caetera inflammationis phaenomena comparent, quae quandoque a specifica sanguinis mixtione nomine discrassiae herpeticæ veniente dependent, haec vero saepius in syphilitica, scrophulosa, arthritica, vel scorbutica diatesi fundatur.

P r o g n o s i s.

Iam dictis superstruitur prognosis. Herpes ex causis minus universalibus exortus raro decursum pertinacem servat, ubi in contrario casu mensibus, annis, imo integra vita hoc morbo detinentur aegri, nec semper therapiae optime adaptatae cedit, ideo in prognosi statuenda cautum et circumspectum oportet esse medicum, herpes saepe pertinacissimus mitiorem mentitur formam, quandoque ad totum fere corpus extensus et formam malignum iam iam minans facilliori debellatur arte ideo sub-

jecti in quo occurrit et reliquorum momentorum maxima ratio est habenda, sic: individuum iuvenile constitutionis laudabilis morbis non exhaustum herpetis causa laevior et cognita, possibilitas eam removendi praesens, v. saltem innocuam reddendi, extensio et gradus morbi minor; forma benigna, functio organorum abdominalium rite expedita, cutis transpiratio normalis, urinae quantitas larga, et evacuationes debitae faustam admittunt prognosim. Plus periculi minatur herpes causa interna provocatus praesertim in individuo dispositione haereditaria praedito aetatis provectoris v. morbis debilitato, diathesi scrophulosa syphilitica etc minus immuni, — hinc medicus dubium dicet praesagium. Unde herpetis terminatio faventibus circumstantiis in sanitatem per desquamationem, vel in alios morbos si e cute ad interiora organismi tractamine incongruo, vel aliis quibuscunque causis repellatur per qualem metastasim, et metaschematismum graves organorum affectiones exoriuntur, sic pleurae, pulmonum, cordis, arteriarum org. digestionis ect. frequenter infarctus viscerum abdominalium, corporis ematiatio, phthyse et nevroses diversae subsequuntur, quae non raro mortis sequelam habent.

T h e r a p i a.

In herpetis therapia attendat medicus an nulla momenta adsint quae eius sanationem vetarent, cum non raro sistat herpes symptoma alterius morbi, saepe sit effectus molimi-

num naturae criticarum maiorem desiderat attentionem quam quaevis aliae efflorescentiae cutis, nec quandoque sine periculo removeri potest, sub quibus circumstantiis ut medicus naturam dirigat oportet, et studeat intra iustos limites herpetem continere, ne duratione protracta ad maiorem plagam, v. organa nobiliora ut oculos extendatur. In sanando morbo prima et quandoque ad totius mali amotionem sufficiens indicatio est; ipsius causae amotio, si herpes malum sistat idiopathicum, et causa sit perspecta therapia erit simplicissima. In herpete sympathico respiciatur morbus prothopaticus, et pro diversitate causarum quibus sustinetur therapia diversas subibit modificationes. Momenta quae activitatem medicamentorum adiuvant v. in leviori casu ipsius morbi sanationem effectuare valent consistunt in observatione legum diaeteticarum, in quorum debita administratione ratio est habenda primo aeris aegram circumdantis, e cuius parte desideratur ut sit temperatus purus serenus, omnesque eius vicissitudines in quantum fieri potest evitentur, e ratione vestitus necesse erit; ut hic calorem aequabilem servare valeat, absint vestimenta coarctantia, et irritantia, in victu abstineat aeger a nimis salsis, acidis, caseosis, pinguis, rancidis, fumo induratis carnibus, nimis farinosis flatulentis verum utatur cibus vegetabilibus, fructibus acidulis, carnibus tostis et digestionis facilis, semper tamen individuali aegri constitutioni, et consuetudini receptae diaeta erit adaptanda, sic individuis constitutione debili praeditis diaeta magis nutriens conveniet, utpote e cibus animalibus digestionem mi-

nus resistantibus constans, aegri multum nutriti ad tenuiorem restringantur victum, pro potu aqua pura, vel usus moderatus vini generosi bene inservit, e parte animi quies, et tranquillitas desideratur, organorum digestionis, praeterea omnium se-et excretionum ratio est habenda. In casibus laevioribus his saepe debellatur morbus, sed ut potissimum ad efficaciora refugere oportet, haec in debita administratione pharmacorum interne adhibitorum consistunt, horum diversissima fuere commendata, quae non semper desiderato fini respondent, ratio fundatur partim in natura morbi multum diversa, partim causis morbum excitantibus variis, quandoque ipsae morbus certas periodos percurrere debet, et sic vel sponte, vel laevius agentibus medicamentis quae prius nullum effectum producere valuissent cedit.

Inter remedia interna primo purgantia erunt consideranda. Ad digestionis opus in nulla impetigine est magis respiciendum ac in herpete, quare tubus intestinalis purgantium et solventium ope a sabura contenta erit evacuandus et obstructions solvendae, horum enim praesentia herpeti sympathico sufficientem occasionem praebet. Primam igitur curationis partem his exordimur remediis, quae non raro sola ad plenariam salutis restitutionem sufficiunt, adhibentur e purgantium tribu mox purgantia antiphlogistica, utpote sales neutri, serum lactis iam solitari, iam cum cremore tartari coniunctum, alias purgantia antiphlogistica minus valent, tunc phlogisticorum usus indicatur, ut Rheim, aloes senna jalappa etc. his praemissis

transimus potissimum ad Roborantia, non ex ea ratione ut his sanationem herpetis procuremus, verum ut languor et laxitas tubi intestinalis tollatur praesertim si aegri universalis debilitas id exposcat. Roborantium medicamentorum trahuntur in usum amara, amaro aromatica. ut centaurea minor vel tauri inspissatum et plura alia. Magis ad herpetem tollendum valent sequentibus pertractanda, utpote vegetabilia diversa; aegregie enim adiuvant activitatem remedium indole sua qua reproductionem imminuunt, diaphoresim et diuresim promovent. Jam apud antiquos celebrata erant, et nomine sanguinis depurantium notabantur, quae varia adhibentur forma, sic in decoctis species lignorum: ut Sarsaparillae Bardanae ligni Quaiaci, Sassafras, Santali, Juniperi, cortex ulmicampensis. Dulcamarae, Lapathum acutum, in infusis Baccae juniperi, saponaria, viola tricolor, scabiosa arvensis et resina Quaiaci, quae sub complicatione arthritica sulphuri et antimonialibus associantur. *Extractorum magis usitantur:* extr. aconiti, extr. pulsatillae nigricantis, cicuta, praesertim si herpes secretionem suam acriter vicinas arrodit partes. celebratur praeterea usus e plantis variis succorum expressorum, tempore vernali omni mane ad cochlear cibarium exhibitorum, ut: Taraxaci fumariae cichorei. Multum speratur ab acidis tam mineralium, quam vegetabilium interne externeque adhibitis, praesertim si individuum sit plethoricum vel ad discrasiam scorbuticam primum, e quibus acid. sulphuricum maiorem sibi promeruit laudem, cuius dosim drach. una usque ad unc. semis augemus multa aqua diluendo.

Acidum muriaticum non minoris virtutis, ea ratione usui inservit. Sulphur exhibet remedium quod omni fors venereo excepto herpeti est accomodatum, laudes eius maximas cel. Alibert extollit. Non raro ad primas huius remedii doses impetiginem adaugi observamus, ubi experientia teste maiorem sanationis spem fovere licet, caeterum sub eius administratione medicus sit memor individua cum systemate nervoso excitabili praedita, vel ad hoemoptoe, aut alias quascunque hoemorrhagias prona sulphur aegre ferre, quod etiam de aquis hoc pharmacon salutare tenentibus valet, usus sulphuris iuxta mentem *Schelveri* per 3 — 6 menses est continuandus dosibus maioribus ut vel quatuor alvus diarrhoicae obtineantur. Antimonium etiam in statu crudo efficax remedium sistit antiherpeticum, verum multo magis eius praeparata laudantur: ut sulphur aurat. antim. Kermes miner. et calcarea sulphurato stibiata. Optimo cum effectu exhibebatur mixtura ex: Tinct. sapon. stibiatae dr. sex. Tinct. Colocynthid dr. duabus paratae guttae 20. omni 2-horio ex aqua summandae sunt. Sic pillulae ex Aethiop. antim. Gummi resinae. Quaiaci aa dr. duabus paratae multis laudantur. Mercurii praeparata sub omni herpetis specie magno adhibentur usu, dummodo nisus sanguinis in resolutionem, vel iam prius eorum prolongatus usus id non vetaret, aegre agunt cum antimonialibus Sulphurae Quaiaco vel Dulcamara combinata ut: Aethiops antimonialis, et mineralis. Calomel aut solum, v. pulv. plummeri ter-quaterqve porrectus salutarem praestat effectum, plurimum speratur a

Merc. coros. tam interne, quam externe usuato qui bene cum Camphora iungitur, caute tamen cum eo mercandum. A cel. Veinhold multum fuit laudata virtus graphitis, qui eum in sanando herpete specificè agere, prouti mercurium in syphilide, asserit, verum observationes assertum minus comprobant, adhibetur interne in pillulis bollo pulvere, vel electuario, secundum Veinhold sequenti accomodatur formae: Rp. Plumb. anglic. unciam unam. Mellis unc. quatuor M. exact. D. S. mane et versp. cochl. cib. etiam cum Merc. solub Hahnemanni, sulphure, antimonio coniunctus in usum vocatur, pro die drachma vel duae etiam ordinantur e pulv Graphitis.

Usus remediorum internorum magnopere externis adiuvatur, haec enim immediate parti affectae applicita maiori pollent efficatia, in quorum usu respiciendum erit ad cutis exaltatam aut imminutam sensibilitatem, ad plagam cui herpes insidet, et ad individualem cutis constitutionem ut debita forma prout balnei lavamenti, unquenti ect. dosis, et species medicamenti seligi possit. Lavamenta in herpete humido magnum effectum praestant; in sicco vero nocere observantur. Communiter lotio cum sapone instituta pluribus aegris conducit. Si inflammatio cutis intensior, pruritus vehementior, et serretio acrior herpetem comitatur, decocta emollientia plurimum praestant, quorum activitas extracto opii multum adiuvatur. Saturninis impregnata lavamenta in magna sensibilitate desiderantur, neque in maiori plaga adhibenda. Iam supra memini acida varia etiam

externe cum usu adhiberi; sic e vegetabilibus acetum forte iam apud antiquos in usu celebratum, item alia: ut acid. citricum, et succus citri, pomorum. ect. Acid. mineralia creduntur maiori gaudere virtute, e quibus acid. muriaticum et hydrothionicum celebratur. Praeter haec etiam infusa et decocta vegetabilium acrium narcoticorum in usum adhibentur ut Dulcamarae Cicutae, Nicotianae. Digitalis purpureae ect. si autem profusior supuratio in cute exoriatur remedium adstringentium usus forma lavamentorum approbatur, cauta tamen et circumsperta manu adhibenda, ne herpes ad interiora propellatur, initium a lenioribus summendo, dein fortiora resummuntur: ut Decoct. putaminum nucum jngland. virid. solutio aluminis, boracis, sulphat. zinci, sachari saturni et plura alia. A balneis tam in herpete protho — quam deuteropathico multum sperant medici, resuscitando enim cutis functionem, eam pro susceptione remedium aptiorem reddunt. Magnae efficaciae sunt balnea sulphurea quae arte parantur, verum maioris adhuc thaermae sulphureae, in altiori debilitate balnea martialia commendantur; aut sub reconvalescentiae statu. Balnea cum sale culinari parata, balnea muriatico salina, et marina recentiori tempore in usu sunt, sic et balnea vaporis, fumigationes, et fomentationes fini respondent. Externe magnopere invaluit usus unguentorum quae rarius tam bene feruntur ac balnea et lavamenta, cum et blandissima cutis functionem plus minus impediunt, componuntur haec e remediis diversis adstringentibus, acris, excitantibus. Usus unguentorum postulat magna sensibilitas partis herpeticae, vel

ubi crustae crassae durae sunt emmoliendae, talia sunt: unguent com. olea mixta blanda, butyrum insalsum, oleum amygd dulc. rec. pr. a pluribus auctoribus commendatur Ol. nucum jugl. rec. pres. Ol. ricini. Olea empyreumatica. et Ol. Dippeli. e compositionibus diversis magis memorabilia exstant unguent. Sulphurat, ungu. Saturnina sub sensibilitate excedente. Hufelland comendat Ung. ex anaticis partibus aquae calcis et ol. amygd. compositum. ungu. ex Graphite testante Veinhold multum praestitit sequenti forma Rp. Pulv. Graphit. opt. electr. drach. duas. axungiae porci unciam semis. Vel pulvis illius cum saliva submixtus parti illinitur. ungu. e Pulv carbonum, cretae pariter adhibetur. Ubi causticis est agendum vel herpes de indole syphilitica suspectus existit tunc mercurialia forma ungu. usui serviunt, unguentis arsenicalibus non prius ac summa exposcente necessitate utendum, cuius formula secundum Arnemann existit sequens. Rp. Arsenici albi. Sulphuris dep. aa dr. j acet dest. ungu. cras aa unc. unam. Emplastro- rum usus indicatur si herpes circumscriptas plagas occupet, vel ubi stimulus fortior permanensque desideratur, vel ubi aeris accessus vel potentiarum externarum influxus arcendus, remedium quodcumque sub hac forma administrari potest, hic memorari meretur empl. e Graphite cuius Pulv. drach. una cum uncia semis empl. saponati miscetur. Empl. Cantharid valet in corpore eminenti partis affectae sed semper cauta administrandum. Sub certis circumstantiis nec derivantibus damno caremus, haec etsi herpetem non tollant ulteriorem tamen proserptum vetant, et sensum pruritus ustionis

moderant ; talia sunt Ulcera artificialia, fonticuli, setacea, vesicantia ect. In usu remediorum externorum nec forma pulveris esset spernenda, cuius tamen usum rarius faciunt medici, sic alii pulveres carbonum, alii hepatis sulphuris, et alii cretae usu praeferunt.

T H E S E S.

1. **M**ors nulla in rerum natura.
 2. Ars per se nunquam, sed natura frequenter sanat morbos.
 3. Momentum ad febres intermittentes disponens in systemate ganglioso sedem agnoscit.
 4. Hoemoptoe in iuvenibus, phthiseos plerumque prodromus.
 5. Dantur morbi salutare a medico fovendi.
 6. Subinde unus morbus feliciter tollitur per alium.
 7. Graphitis specifica virtus in herpete sanando observatione non comprobatur.
 8. Cordis vis premens, et sugens non unica circulationis causa.
 9. Causa herpetis proxima in processu inflammatorio specifico retis malpighii fundatur.
 10. Medicus veri nominis utilissimum Reipublicae membrum.
 11. In manu Medici circumspecti nullum existit venenum.
 12. Ebrietas omnes formas vesaniae ludit.
 13. Vita ruralis optimus sanitatis custos.
-